

### Articulus XXIX.

Aequum etiam uidetur Regnicolis, ut sicut meliorationes bona aliqua et Jura possessionaria pignoratilia possidentibus, per eos, quorum bona sunt, depositionis Summae inscriptionalis tempore persolui debent, ita etiam deteriorations talium bonorum, per eiusmodi bonorum possessores, malitia uidelicet, vel notabili incuria, aut crudelitate eorundem factae, praevia legitima per Vice-Comites vel Judium Comitatum fienda inquisitione, similiter depositionis Summae inscriptionalis tempore, omnibus Juricis remediis, admissa tamen unica in Sedem Comitatus appellatione, pospositis, persoluantur; vel vero aestimatarum Deteriorationum precium ex inscriptionali Summa per eosdem Vice-Comites vel Judiuu defalcatetur, et manibus legitimo bonorum haeredi vel Domino assignetur.

Nos itaque, praemissa eiusdem Nuncii humillima supplicatione, nominibus ac in personis supradictorum uniuersorum Statuum et Ordinum dictorum Croatiae et Sclauoniae Regnum nostrorum, Maiestati nostrae oblata, Regia benignitate exaudita clementer et admissa, praefatos, ex reliquis excerptos Articulos, Nobis modo praemisso praesentatos, praesentibusque litteris nostris de verbo ad verbum insertos et inscriptos, ac omnia et singula in eis contenta, ratos, gratos, et accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, benevolumque pariter et assensum praebuimus, ac illos, et quaevis in eis contenta, autoritate nostra Regia acceptauimus, approbavimus, roborauius, et confirmauimus, Offerentes Nos clementer, quod praemissa omnia, in omnibus punctis, clausulis, et articulis, tam Nos ipsi obseruabimus, quam per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunque status et conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imo acceptamus, approbamus, roboramus, et confirmamus, Harum nostrarum vigore et testimonio Litterarum. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die octaua Mensis Januarij, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Trigesimo Sexto. Regionum nostrorum, Romani decimo Septimo, Hungariae et reliquorum Decimo octauo, Bohemiae vero Anno decimo Nono.

**Ferdinandus m. p.**

**Georgius Lippay, Episcopus Wesprimiensis m. p.**

**Laurentius Ferenczffy m. p.**

*Originale in Archivio Regni Croatiae.*

*Habet quoque: Joannis Szegedi Tripartitum Juris Hungarici Tyrocinium. Zagrabiae sumptibus Franc. Jo. Zerausche Bibliopolae 1762, p. 313 — 317.*